

“Sol qui omnia conspicit, et omnia exaudit.”

A principe ergo eorum, dogma hoc in Peripateticos descendit. In principem autem, a praeceptore Plato Platone venit; tum per mysticam, ab illo exceptam, a se vero conscriptam philosophiam. In qua multa est animi mundani mentio. Ut ibi.

“Deus summus, simplex, et omnium perfectissimus, intellectui primo dat vitam, deinde animo, postremo naturae. Ab agentibus secundis in quibus est, intellectus, animus aliaque simplicia principia.”

Sed et in Exoterica sua philosophia Plato animum mundanum bis explicat: semel in Philebo, secundo in Timaeo late satis. Quod tamen ex Timaei Locri libello, cuius in suo Timaeo quasi paraphrastes Plato esse voluit, desumpsit. Nam is et libellum suum de animo mundi inscripsit, et haec in super habet verba, de mundo loquens a Deo producto. Ενα, μονογενῆ, τέλειον, ἔμψυχον τε καὶ λογικὸν.

“Unum, unigenitum, perfectum, animatum, et rationale.”

Plato vero sic eandem rem extulit:

Διὰ δὴ τὸν λογισμὸν τὸν δὲ, νοῦν μὲν ἐν ψυχῇ ψυχὴν δ’ ἐν σώματι συνιστάς.

“Ob hanc ergo ratiocinationem, Mentem in animo, animum in corpore constituit.”

Sed verba haec videtur Plato ex Zoroastri oraculo quodam excrispsisse. Ait namque:

Κατέθετο γάρ.

Νοῦν μὲν ἐνὶ ψυχῇ, ψυχὴν δ’ ἐν σώματι ἀργῷ.

“Mentem quidem in animam, animam vero in corpore inerti.”

Ante quae verba dixerat:

Μετὰ δὲ πατρικὰς διανοίας, ψυχὴ ἐγὼ ναίω.

Θερμὴ, ψυχοῦσα τὰ πάντα.

“Post vero paternas cogitationes anima
ego habito, calida animans cuncta.”

Vocat autem calidam, quia dixerat alibi:

Οτι ψυχή, πῦρ δυνάμει πατρὸς οὖσα φαεινὸν,

Αθανατός τε μένει, καὶ ζωῆς δεσπότις ἐστὶν.

Καὶ ἵσκει κόσμου πολλὰ πληρώματα κόλπων.

“Quod anima ignis, potentia patris, existens lucidus,

Immortalisque manet, et vitæ domina est.

Et tenet mundi multas plenitudines sinuum.”

Hermes quoque mundanum animum agnoscit, quando ait.

Οὐκ ἡκουσας ἐν τοῖς γενικοῖς, ὅτι ἀπὸ μιᾶς ψυχῆς τῆς τοῦ παντὸς, πάσαι αἱ ψυχαί εἰσιν.

“Non ne audisti in Generalibus, quod ab uno animo universi, omnes animi sunt.”

Τὸ δὲ, πᾶν τοῦτο σῶμα ἐν ᾧ τὰ πάντα ἐστὶ σώματα ψυχὴ πλήρης τοῦ νοῦ, καὶ τοῦ θεοῦ,
ἐντὸς μὲν αὐτὸς πληροῖ, ἐκτὸς δὲ περιλαμβανει ζωοποιοῦσα τὸ πᾶν.

“Universum hoc corpus in quo omnia sunt corpora, animus plenus mente et Deo intus quidem
ipsum implet, extra vero ambit, vivificans universum.”

Quam sententiam vetustissimus Græcorum, Orpheus, ab Hermete hausit, de eo enim
Iamblichus ita testatur apud Stoboeum.

Εοικε γὲ μὴν αὐτὸς Ορφεὺς χωρὶς ὑπερλαμβάνειν, ἐστὶν καὶ μίαν τὴν ψυχὴν, ἀφ’ ἣς πολλὰς
μὲν ἐστὶν διαιρέσεις, πολλὰς δὲ καὶ μέσας ἐπιπνοίας καθήκειν ἐπὶ τὰς μερικὰς ψυχὰς ἀπὸ τῆς
ὅλης ψυχῆς.

“Videtur sane ipse Orpheus separatim existimare, esse unum animum. A qua multæ sint
divisiones, et multas, et medias aspirationes venire in particulares animos, ab universo
animo.”

Itaque a præstantissimis sapientibus, atque vetustissimis, Zoroastre, Hermete, et
Græcis Orpheo, Pythagora, Pythagoreis, Platone, vetustissimo dogmate traditum est,
mundum esse animatum. Quod et Thales, et Heraclitus, et Democritus, et Stoicorum universa